



Per.
Lat
020

Prodit Budapestini VIII., Szentkirályi-u. 28. Calendis et Idibus cuiusque mensis, excepto Iulio et Augusto. — Pretium annuae subscriptionis in Hungaria: 4 coronae. Prostat Parisiis in aedibus
 ▼▼▼▼▼▼▼▼ Croville-Morant, 20 rue de la Sorbonne. — Telephonum: József 858. ▼▼▼▼▼▼▼▼

De Shakespearii

vitā pauca indicia¹ superesse satis constat. Stratfordi anno 1564. natus, cultu² humili² educabatur; mox Londinium profectus histrio³ fabularumque scenicarum scriptor factus est. Quinquagesimo aetatis anno in locum natalem reversus mortem obiit.

Praeter haec exigua⁴ vix quidquam de poëta maximo notum est. Exstat testamentum, in quo de rebus diversissimis mentio⁵ fit praeter libros, codices⁶ scriptos⁶ vel litteras quamquam levissime⁷ significatas.⁸ In epistola, quae sola nobis prodita est, amicus quidam pecuniae summam mutam⁹ rogat. Alia monumenta scripta non inveniuntur.

Quibus rebus diligenter perpensis¹⁰ pars virorum doctorum nullo pacto¹¹ fieri potuisse existimat, ut rudis¹² coloni¹² filius, qui in urbe patria lanii administer, Londinii histrio, extremā autem vitā fene-

rator¹³ erat, tam multarum rerum cognitione¹⁴ imbutus¹⁴ fuisset. Non dubitabant, quin sub nomine Shakespearii alius quisquam scriberet. Post longam deliberationem inter doctos viros convenit¹⁵ Franciscum Bacon,

doctissimum illius temporis virum scriptorem operum fuisse, quae nomine Shakespearii circumferuntur. Eo enim tempore fabularum scenicarum scriptores despiciebantur,¹⁶ qua de causa Baconius, a¹⁷ consiliis¹⁷ regis¹⁷ infra¹⁸ dignitatem¹⁸ suam positum esse putavit huiusce generis opera suo nomine publicari.

Nuperrime hac de re Demblon Belga librum edidit, qui inscribitur: «Rutland princeps¹⁹ vir¹⁹ = Shakespeare, Maximum aenigma solutum». Vir ille doctissi-




Franciscus Bacon.

¹ adat ² szegényes viszonyok ³ színész ⁴ csekély adatok ⁵ említés ⁶ kézirat ⁷ felületesen ⁸ említ ⁹ kölcsön ¹⁰ mérlegel ¹¹ módon ¹² egyszerű paraszt ¹³ uzsorás ¹⁴ ismeretekkel rendelkezik ¹⁵ megállapodik ¹⁶ megvet ¹⁷ tanácsos ¹⁸ méltóságán alul ¹⁹ lord

mus se his viginti annis quattuor milia librorum perlegisse affirmat, quibus demonstrare posset fabulas Shakespeareianas a Rutlando principe viro conscriptas esse.

Fama libri maxima est. Sed quia tantam multitudinem indiciorum¹ examinare²⁰ magni laboris est, nova haec ratio nec confirmari nec refutari²¹ adhuc poterat.

²⁰ megvizsgál ²¹ megeáfol.



LECTORIBUS MINIMIS.

Colloquium.

Marcellus. Salvete amici carissimi! Quam diu vos non vidi! Ubi fuistis, quid egistis tempore feriarum?

Paulus. Unā eramus cum nonnullis amicis in montibus Carpathibus, ubi contra ardores¹ solis muniti² eramus, quia in cacuminibus³ montium vicinorum sempiterna nix est.

Antonius. Ne dissere⁴ de naturae amoenitatibus.⁵ Loquere de magistro linguae Latinae, qui cum filiis et filiabus etiam aderat

et ubique apparebat, ut nos praeceptis⁶ linguae Latinae cruciaret.⁷

Stephanus. Ingratus es Antoni. Hoc quidem verum est; magister ubique ac semper aderat, sed non ut voluptates lususque nostros impediret,⁸ contra, ut semper nova genera ludorum excogitaret.

Marcellus. Quid igitur egistis?

Paulus. Enarrare omnia longum est. Sed iucundissimae semper erant excursiones,⁹ quas cum magistro, saepe etiam cum parentibus ad lacus Alpinos faciebamus. Nihil nobiscum portabamus, nisi baculum¹⁰ longum, praeter vestimenta quotidiana, calceos¹¹ clavis¹² muscariis¹³ suffixos, ne vestigio¹⁴ falleremur.¹⁴

Antonius. Et cibum¹⁵ oblivisceris?

Paulus. Ductores nobiscum erant, qui etiam cibos portabant. Sine ductoribus Alpes altas conscendere non licet, quia itineris¹⁶ ignari¹⁶ facillime deerrant aut — quod peius est — in semitas¹⁷ proclives¹⁸ incidunt,¹⁹ unde nec progressus,²⁰ ne regressus datur. Multi etiam praecipitati²¹ miserrime perierunt. Sed haec²² hactenus.²²

Antonius. Hactenus, hactenus... sed mihi semper iucundissimum erat, postquam ali-

1 hőség 2 véd 3 csúcs 4 értekeznek 5 szépség
6 szabály 7 kínoz 8 akadályoz 9 kirándulás 10 bot
11 cipő 12 szeg 13 nagyfejű 14 kicsúszik 15 étel
16 tapasztalatlan 17 ösvény 18 meredek 19 rábukkan
20 előremenés 21 lebukik 22 ez eddig = elég ebből ennyit



Ursus et vulpes.

Ursus quondam obviam venit vulpi, quae nonnullos pisces in ore portabat.

— Unde hos tulisti? rogavit ursus.

— Domine mi, respondit vulpes, ego iam multas horas piscor¹ et hos cepi.

Deinde ursus etiam piscari discere voluit et vulpem rogavit, quomodo hoc facere posset.

— Age² vero,² inquit vulpes, illud haudquaquam difficile est factu. I ad glaciem et

cavum³ fode, ubi caudam⁴ tuam in aquam demitte. Oportet ibi maneat, quam diu poteris. Ne caudam tuam moveas, si quid doloris senseris. Tum enim pisces «hamum⁵ vorare»⁵ coeperint. Quo diutius manseris, eo plures pisces capies. Denique caudam tuam quam celerrime extrahe.

Itaque ursus id, quod vulpes praeceperat, facere conatus est. Ad glaciem profectus cavum ibi fecit. Tum caudam per cavum in aquam demisit. Post multas horas caudam summis viribus extrahere conatus est. Frigus autem maximum erat et cauda iam glacie astricta⁶ erat. Itaque subito motū cauda

1 halászik 2 rajta hát 3 nyílás 4 fark 5 pediz
6 megfagy.

quot horas ambulavimus, considerare, cibaria¹⁵ promere, ignem ingentem facere, sicubi²³ ligna parare potuimus, quod in nudis²⁴ saxis non semper contigit.²⁵

Stephanus. Sed unam rem oblitus es, bone Antoni. Semel excurrimus ad lacum, qui Piscina²⁶ vocatur; tempestas non sine nivibus densissimis²⁷ orta est. Receptaculum²⁸ Alpinum procul et iam gelu²⁹ paene periiimus,³⁰ cum repente sol effulsit³¹ et Antonius noster flere desiit.³² *M. F.*

²³ ha valahol ²⁴ csupasz ²⁵ sikerül ²⁶ Halastó
²⁷ sűrű ²⁸ menedékház ²⁹ fagy ³⁰ elpusztul ³¹ ki-
süt ³² desino megszűnik.



Numantia erat urbs florentissima Hispaniae Tarraconensis, quae a P. Cornelio Scipione deleta est, qui inde nomen Numantini traxit. Urbs enim per quindecim menses armis Romanorum fortissime restitit, donec fame miserisque coacta Scipioni portas aperuit. Victoria tristissima fuit. Incolae enim ipsi domos urbis flammis vastabant, uxores cum liberis, deinde ipsos maximam partem necabant. Memoria urbis annis labentibus evanuit.¹ In oblivionem² venit etiam locus, ubi urbs quondam steterat.

Novissime Adolphus Schulten post octo

rupta est. Hanc ob causam ursus adhuc parvam caudam habet.


M. Doran (Accrington).

Ludovicus XIV.

rex Galliae quondam in venatione siti¹ collecta¹ poculum vini poposcit. Quod autem non accepit, quia vinum omnino deerat, itaque rex sitire cogebatur, ut quicumque mortalis pauper. Sed ne res iteraretur,² edixit Ludovicus, ut in posterum, cum venatum iret, quadraginta lagonae³ vini apparerentur.

Die quodam aestivo venatione finita rex guttur⁴ siccum esse sentiens lagonam vini afferri iubet.

annorum laborem vestigia «Pompeiorum Hispanicorum» repperit. In lucem prodibant non solum reliquiae urbis antiquae, sed



Numantia oppugnata.

etiam castra Scipionis, quibus antiqua ars bellandi nobis quasi ob oculos posita esse videtur. Proferebantur armorum genera diversissima, in castris nonnullae casae integrae³ cum pulcherrimis figlinae⁴ artis⁴ vasibus, quae apud Gallos Hibericos maxima gloria florebat.

In actis diurnis nuperrime de Reisnero, litterarum Aegyptiarum magistro in universitate Harvardana referebatur, qui rationem⁵ reddidit de Sphinge inquisita. In interiore enim Sphinge templum repperit, quod pyra-

¹ eltűnik ² feledés ³ ép ⁴ fazekasipar ⁵ beszámol

Tum tanta perturbatio⁵ orta est, ut rex, qui frustra potum⁶ exspectabat, interrogaverit, cur iussa sua non perficerentur.

Apparebat⁷ denique comites vinum ebibisse, quia regem, qui diu tacebat, poturum esse non putabant.

Ludovicus hilaris: Si rex e quadraginta lagonis — inquit — ne guttam⁸ quidem accipere potest, in posterum praeter quadraginta lagonas apportentur quadraginta et una, e quibus una regi seponenda sit.

I. Schlamadinger.

¹ megszomjazik ² ismétlődik ³ palack ⁴ torok
⁵ zavar ⁶ ital ⁷ kiderül ⁸ csepp.

midibus vetustius esse videtur. Reisnerus Sphingem a primo Aegypti rege exstructam eiusdem sepulchrum continere existimat.



Complures fauces in cavernas⁶ ferunt; sed eas vir doctus adire nondum poterat. In capite monstri oculus⁷ duodeviginti metrorum longus, quinque metrorum latus reperiebatur. Qui per fauces cum Solis templo coniunctus est, quod est in parte inferiore molis⁸ ingentis. In hoc templo Reisnerus permultas res sacras invenit, qualis est crux orbe inclusa, Solis imago. In interiore Sphinge nonnullae pyramides parvae inveniebantur, quae simulacra pyramidum magnarum, circulum⁹ meridianum⁹ indicantium mensurā¹⁰ minutā¹⁰ reddunt.

⁶ üreg ⁷ a terem ⁸ nagy alkotmány ⁹ délkör ¹⁰ kis méretben.

Laudes solitudinis.

Secundum Alexandri Pope carmen «Ode on Solitude» latine panxit Guil. Lehmann Vratislaviensis.

Beatus ille, cura cuius et preces
 Paucis tenentur areis¹
 Agri paterni, quique patriae solo²
 Contentus aurā vescitur;³
 Sui greges quem lacte, pane quem sata,⁴
 Oves et ornant vestibus;
 Aestate frigus⁵ cui suae dant arbores
 Ignemque brumae⁶ tempore.
 Beatus, horas et dies qui leniter
 Annosque labentes videt
 Habetque sanum corpus et cor integrum
 Et in diem curis vacat;⁷
 Quem nocte somnus, post labores otium
 Remissioque⁸ recreant
 Et, maxime quae mulcet,⁹ innocentia
 Et laeta contemplatio.
 Sic sinite caecum¹⁰ vivere ignotumque me
 Ac lacrimis¹¹ orbem¹¹ mori;
 Facessere¹² hinc me sinite, quaque¹³ sim situs,
 Vetate cippum¹⁴ dicere.

¹ telek ² föld ³ él (vmivel) ⁴ vetés ⁵ hideg, «árnyék» ⁶ tél ⁷ mentes ⁸ nyugalom ⁹ simogat, «boldogít» ¹⁰ látatlanul ¹¹ könnyezetlenül ¹² «távozik» ¹³ és ahol ¹⁴ sírkő.



Géza Austerweil machinator¹ et¹ artifex¹ prope Parisios, in officina sua operam dat rationi novae, quā alae² navigatorum aëriorum construantur. Pro linteis³ enim, quibus alae machinarum vulgo obducuntur,⁴ novam materiam excogitavit, quā efficitur, ut translucidae⁵ solidaeque fiant et in aëre volantes, oculis hominum non percipiuntur. Quae res maximi momenti est in disciplina⁶ bellica,⁶ cum condicio hostium exploranda esse videtur.

Bielovucsics aëronauta Viberici⁷ subla-
 tus caelo sereno Alpes transvolavit. Viginti quinque sexagesimis⁸ aërio itinere emenso Oselam⁹ pervenit, ubi ab ingenti multitudine clamoribus laetissimis exceptus est. Magnum erat, quod Bielovucsics conabatur, quia anno MCMX. a. d. IX. Cal. Oct. Chavez idem temptans mortuus est.



Carolus Nieuport una cum machinatore in palaestra Etampesiana ex altitudine octingentorum metrorum delapsus mortem miserimam occubuit. Aëronauta praeclarus coram arbitris¹⁰ militaribus¹⁰ machinam novam experientiā¹¹ tentabat,¹¹ quā candidati artis volandi documenta¹² sui¹² darent.¹² Machina, quam volantem militum praefecti telescopio observabant, probata est, cum repente subversa, sagittae¹³ missae¹³ similis¹³ delapsa est. Utrique viri ilico exanimati sunt. Eundem exitum habuerat etiam Eduardus Nieuport, Caroli frater.

Guggenheim Gallus in palaestra Etampesiana cum 4 vectoribus dimidiam horam volavit.

¹ mérnök ² szárny ³ vászon ⁴ bevon ⁵ átlátszó ⁶ hadászat ⁷ Brig ⁸ perc ⁹ Domodossola ¹⁰ katonai bizottság ¹¹ kipróbál ¹² vizsgálzik ¹³ nyílsebességgel.

Gallus. VI.

Scrpsit G. A. Becker, in Latinum convertit – il.

Gallus hoc tempore, quantum fieri potuit, fluctibus civilibus¹ se abstinebat tempusque maxime inter amicos in conviviis consumpsit vel ad studia recolenda² contulit. Nunc quoque, ubi salutatio defluxit, in conclave se recepit, ubi quotidie horis antemeridianis ad animum reficiendum se totum litteris abdebat et vel clarissimos Graecorum scriptores lectitabat vel spiritu quodam divino inflatus³ elegias condebat.


Quamobrem hoc conclave tam abdito situ erat, ut neque tumultuosum clamorem multitudinis viarum, neque strepitum⁴ plastrorum⁴ neque vocem raucam⁵ mulionum,⁶ qua mulos stimulabant, neque tristem clangorem tubarum funebrium aut naenias⁷ praeficarum,⁸ neque rixas servorum per plateas discurrentium sentiret.

Conclave modicum solem per fenestram exceptum usque ad meridiem servabat, quod amoenissimum erat poetae receptaculum.⁹ In parietibus¹⁰ tenues figurae saltatricum¹¹ venustarum erant depictae. Lectus stragulo¹² Babylonico stratus, scrinium¹³ novissimas Galli elegias et nondum publicatas continens et parva mensa citrea¹⁴ faciunt totam supellectilem.¹⁵

Cui conclavi contigua¹⁶ erat bibliotheca, plena monumentorum¹⁷ litterarum,¹⁷ a Gallo maximam partem Alexandriae collatorum. Praeter parietes ordine in armariis¹⁸ acernis¹⁸ sunt posita volumina ex chartis vel membranis¹⁹ facta et indicibus instructa, in quibus nomina auctorum operum minio²⁰ inscripta erant. Cerneret hinc et effigies ex marmore vel aere celeberrimorum scriptorum pluribus locis dispositas, novissimum ornamentum bibliothecarum, quod ab Asinio Pollione in²¹ morem²¹ perductum²¹ esse traditur. Neque deerant M. Terentii Varronis notissimi illi libri, qui inscribuntur Hebdomades.* Quibus libris insertae²² erant imagines septingentorum illustrium virorum cum adnotationibus de vitis eorum.

Bibliothecae adhaerebat conclave grande, ubi librarii scribendi peritissimi operam navabant voluminibus²³ clarissimorum scrip-

torum Graecorum vel etiam vetustiorum Romanorum exscribendis, ut bibliotheca novis libris augetur. Alii singulas chartas conglutinabant;²⁴ minio²⁰ vel cocco²⁵ lineas inter paginas²⁶ signabant titulumque scribebant; frontes²⁷ circumcisis pumice²⁸ poliebant;²⁹ in fine voluminum ex ligno aut osse umbilicos³⁰ applicabant; chartas cedro illinebant,³¹ ne tineis³² vel carie³³ laederentur; singula volumina sic perfecta luteis³⁴ aut purpureis membranibus³⁵ involvebant.



Libri, volumina.

Gallus cum Chresimo intrabat conclave, ubi librarius dominum iam exspectabat, ut in exscribendis annotationibus praesto³⁵ esset. Ubi Gallus Chresimum proximam profectionem praeparare iusserat, more solito recubuit lecto, innixus³⁶ sinistro cubito³⁷ altiusque tollens dextrum genu, in quo librum vel tabulam imponderet.

— Praebe mihi quaeso, Phaedre, volumen carminum, appellat libertum, nolo Romam prius discedere, quam librum ad³⁸ umbilicum³⁸ perfectum ad bibliopolam³⁹ misero. Quamquam haud facile adducor, ut in taber-

1 politikai 2 újra elővesz 3 illetve 4 kocsizörgés
5 rekedt 6 öszvérhajcsár 7 panaszdal 8 síró asszony
9 tartózkodóhely 10 a fal 11 táncosnő 12 takaró
13 szekrény 14 citromfa- 15 bútorzat 16 szomszédos
17 irodalmi mű 18 jávorfa- 19 pergament 20 cinóber
21 divatba hoz * a hét 22 hozzácsatol 23 kötet
24 összeragaszt 25 skarlátszín 26 oldal 27 előrészt
28 horzsákó 29 simít 30 pálcika 31 beken 32 moly
33 szúrágás 34 sárgás 35 kéznél 36 támaszkodik
37 könyvek 38 avéig 39 könyvkereskedő

nis⁴⁰ Argiletanis⁴⁰ quinque denariis venditer nomenque meum in postibus⁴¹ inscriptum videam, Secundus⁴² tamen etiam atque etiam instat et urget me. Fiat igitur ex⁴³ voluntate⁴³ eius.

Ille scilicet privatae utilitati servit, respondit Phaedrus, volumen ex scrinio promens.⁴⁴ Pro certo affirmo fore, ut librarii⁴⁵ eius per menses operam dent elegiis et epigrammatibus tuis in mille exemplaria transscribendis, tu autem non solum Romae et in Italia, sed etiam toto orbe terrarum poetica laude floreas.

Si diis placuerit, dixit Gallus. Semper periculosum et ambiguum⁴⁶ factu⁴⁶ videbitur carmina amicis intimis scripta in lucem⁴⁷ proferre. Homines sunt difficiles. Unus me lentum in dicendo et paene frigidum esse dicit, alteri molesta sunt nomina amicorum toties memorata, alii denique longa putant epigrammata mea. Quid⁴⁸? Quod⁴⁸ grammatici vitio mihi tribuunt, quod librarii⁴⁵ peccant.

Reliqua deinceps persequemur.

⁴⁰ városrész könyvesboltokkal ⁴¹ «kirakat» ⁴² könyv-
árus ⁴³ akarata szerint ⁴⁴ kivesz ⁴⁵ könyvmásoló
⁴⁶ kétes ⁴⁷ nyilvánosság ⁴⁸ hát még.



Rainerus archidux, regis apostolici nostri avunculus¹ annum agens octogesimum sextum Vindobonae mortuus est. Potius litteris, quam militiae studebat, qua in re multum differebat a ceteris principibus domus regnatricis. Caput Vindobonensis academiae artium² liberalium² litteris re consilioque fovendis³ gloriam nominis sempiternam sibi paravit. Litterati homines Austriaci plurimum debent principi viro, qui maximum thesaurum papyrorum Aegyptiarum impenso⁴ pretio emit. Quae papyri a saeculo XIV. a. Chr. ad s. XIV. p. Chr. conscriptae iuxta urbem antiquam Arzinoën repertae sunt.


Rainerus archidux civibus nostris incognitus erat, quia vitam in Austria degebat.

Franciscus Nagel cardinalis, princeps Vindobonae sacerdos aetatis anno quinquagesimo octavo mortuus est. Qui in antistite mortuo exemplar vitae integerrimae animi qui beneficentissimi admirabantur, omnes defunctum complorabant.

Hoc ipso mense Februario annus est trecentesimus, postquam gens Romanova imperium Russorum adeptae est. Idem hic annus et mensis quinquagesimus est, ut Poloni ad libertatem recuperandam ultima arma ceperunt. Ex quo enim patria eorum inter Russiae, Austriae, Borussiae dominos in tres partes divisa est, infelices libertatis recuperandae spem nunquam abiciebant. Anno 1794. et 1831. motus⁵ Polonorum vi atrocissima opprimebantur, anno autem 1863. populus subactus, libertatis amore incensus iugum excutere⁶ iterum conabatur. Sed frustra; praevaletibus Russorum armis oppressi, duces nobilissimi in vincula coniecti aut capitis supplicio affecti sunt. Mandatote memoriae nomina heroum, ut Kurovskii, Tyskieviczii, Frankovskii, Mieroslavszkii et ante omnia Padlevskii, iuvenis viginti sex annos nati, qui quamquam summis honoribus Russorum circumsessus,⁷ honeste mori quam hostium nequissimorum munera accipere maluit. Carnifex⁸ autem populi miserandi Muravjev erat, cuius nomen ab omnibus libertatem amantibus non sine maximo horrore et contemptu semper memorabitur. Abiectissimus⁹ enim ille servus tyrannidis Russae non contentus supplicii simplicibus Polonorum, morte damnatos exquisitissimis¹⁰ cruciatibus affecit.

Vectura citatior¹¹ prope stationem viae ferratae Hungaricae urbis Medgyes collidebatur¹² cum vectura oneraria,¹³ in quam oleum et bensinum impositum erat. Collisione oleum concussum ignem concepit, quo unus vectorum necatus, plures etiam vulnerati sunt. Vecturā citatiore etiam Germanorum imperatoris filius vehebatur, qui

¹ nagybátya ² tudomány ³ támogat ⁴ óriási
⁵ fölkelés ⁶ leráz ⁷ megkínál ⁸ hóhér ⁹ elvetemült
¹⁰ válogatott ¹¹ gyorsvonat ¹² összeütközik ¹³ teher-
vonat



ex Romania per patriam nostram Berolinum profecturus erat. Collisione factā vectores de plaustris¹⁴ descenderunt, e quibus princeps iuvenis omnium primus animo praesenti vulneratis opem ferebat; deinde ad stationem Medgyes curru vehebatur, ubi proximam vecturam citatiorem exspectavit, quā iter Budapestinum perrexit. Omnium animos in se convertit, quod cum civibus nostris nostrā linguā loquebatur.

Calamitas incuriā custodis viae ferratae facta esse affirmatur.

¹⁴ kocsi.



Summus¹ rerum¹ scholasticarum¹ et¹ ecclesiasticarum¹ per Hungariam praefectus¹ edixit, ne quis discipulus scholarum medicarum, quae vocantur, apud quoscunque circulos gymnicos profiterentur,² quippe qui inter adultos³ non raro talibus rebus interessent, unde adulescentuli arceri deberent. Tamen sibi placere affirmavit, ut discipuli in scholis circulos gymnicos constituerent, ubi corporibus exercendis operam darent.

¹ vallás- és közoktatásügyi miniszter ² beiratkozik ³ felnőtt.

De floribus sanguineis Sztrecsnoensibus.

Scripsit *Viktor Rákosi*, in Latinum convertit: —*il.*

Clamore sublato hastati magno impetu sursum connitebantur.

Iam vix triginta passus aberant.

Tum dux belli casside⁸⁶ inaurata, equo citato evehitur ex agmine et gladio stricto signum dat, simul alta voce clamat:

— Sztoj! (Consistite!)

Acies constitit.

Praefecti repente aderant. Dux belli parvulam manum Hungarorum eis monstrat. Unus de praefectis equo illuc advehitur.

— Rendez-vous! (Dedite vos nobis!)

— Mittite⁷¹ glandes,⁷¹ respondit Szeredai.

Subito ingens fragor intonuit et cum

fumi dilaberentur, nemo in iugo stabat. Omnes ad unum interierunt. Russi taciti appropinquant.

Dux belli accedit ad defunctos.

— Sunt-ne omnes mortui? interrogat legatum.

— Unus superstes est, humerus eius sinister est dilaceratus. Ille quoque exsanguis iacet.

— Arcessite⁸⁷ medicum et bene habete eum, quasi commilitonem vestrum.

— Canamusne epinicia?⁸⁸

— Nolite canere, dixit dux in cogitatione defixus, victoria his mortuis tacitis debetur. At fac veniant ducenti ex legione Tilsitensi, qui pro patria mortuos honeste sepeliant.

Dux classicum cani iussit et copiae Russorum hostiles in Hungariam penetrabant.

Reliqua deinceps persequemur.

⁸⁶ sisak ⁸⁷ hív ⁸⁸ diadalének.



— Ubi tam diu fuisti, mi fili?

— Magister me in schola retinuit, quia in charta geographica Moscoviam monstrare nescivi.

— Non est mirum. Anno enim 1812. igni deleta est.

V. Bleicziffer (Arad).

Equi Ioannis nocte furto¹ abiguntur.¹ Strepitū expergefactus² exiens rogat: Quis est hic tam multa nocte? — Nemo, respondet fur. — Si nemo est, cubitum³ redeo.

Mane equis non inventis ad iudicem ivit, cui calamitatem rettulit. — Quis furatus est equos? — Nescio, quia nocte, strepitu audito interrogavi, quis esset, cum quidam responderet: Nemo, nihil mali putavi et in cubiculum redii.


A. Karácsony (Keszthely).

Philippus, rex Macedonum devictis ad Chaeroneam Atheniensibus iussisse fertur quotidie se ex somno excitandum his verbis:

— Surge et hominem te natum memento!

N. Szarvas, S. I.

¹ ellop ² felébreszt ³ feküdni.



I.

Syllabae: *ae ci com da est fa le men mo non pa qua te ti*

ita disponantur, ut fiant septem verba, quae sententiam exhibent pentametro quodam Ovidi poetae expressam.

Guil. Lhm. (Vrsl.).

II.

In silvis dominor montanis, nobilis arbor:

Me quivis sacro¹ tempore¹ gaudet homo.

Altera mutetur mea littera: Marte furente

Pugnantes trunco, vulnero, caedo viros.

Illam iterum muta: sum bestia, dux gregis; idem Zodiaci² claris lucibus adnumeror.

Guil. Lhm. (Vrsl.).

III.

- 5. 3. 5. potu optima
- 6. 4. 1. 2. dominus omnium
- 2. 9. 8. 9. 5. animal ridiculum
- 5. 10. coniunctio
- 1—10. proverbium.

G. a Beöthy.

IV.

T. Buzila.




¹ karácsonykor ² állatöv

Solutiones aenigmatum numeri 10.

I. Malum est consilium, quod mutari non potest. — II. $A\ 5100 - 3000 = 2100$, $B\ 3400 - 1000 = 2400$, $C\ 2550$, $D\ 3150$. $A + B + G + D = 10200$. — III. Tempore quo vestis mihi tradita pura est? — IV. Tibur, Alba Longa, Nola, Eryx, Neapolis, Esquilinus, Latium, Interamna, Faesulae, Sicilia, Etruria, Tarentum = *festina lente*. — V. Undecim et quinque sunt XVI.

Aenigmata recte dissolverunt: *E. Brenek* (Budapest), *M. Butley* (Philadelphia), *A. Cseh* (Puj), *F. Denk* (Vindobona), *I. Erdélyi* (Claudiopolis), *P. Fertig* (Hamburg), *A. Herman* (Leopolis), *Z. Jakubowski* (Leopolis), *L. Kiss* (Dés), *B. Lamos* (Budapest), *C. Lewicki* (Leopolis), *B. Magyar* (Posonium), *Naszódienses discipuli V. cl.*, *T. Orbán* (Budapest), *F. Perier* (Parisii), *C. Roth* (Budapest), *L. Sonnino* (Roma), *T. Szerényi* (Budapest), *T. Szumowski* (Leopolis), *I. Szügyi* (Kisujszállás), *T. Vuia* (Temesvár), *Á. Weisz* (Cibinium), *P. Weress* (Budapest), *I. Wildt* (Déva).
Praemium *Iulio Szügyi* sorte obvenit.



G. L. (Vrsl.) Pro carmine Britannico maximas tibi ago gratias, vir honoratissime; Vörösmartyana autem — bona tua venia dixerim — nimis saecularia mihi videntur. Quamobrem mihi succensere noli, si ea seposuero. — *Aeniponti*. Te quoque rogatum esse velim, vir doctissime, ut mihi ignoscas. Sed duabus de causis adducor, ut aliud quiddam rogem lectoribus nostris minimis. Dissertatione enim vereor, ut satis teneantur; actionem enim desiderant. Praeterea eam rem paulo difficiliorem eis existimaverim. Constructiones syntacticae omnino vitandae mihi videntur. — *Esperanto*. Magyar Esperanto Ujság est nomen ephemeridis, quam tibi maxime idoneam esse arbitror. Prodit singulis mensibus in urbe Eger, pretium annum est duarum coronarum. — *P. F.* (Leopolis). Solutionem aenigmatum tuorum mihi fac mittas. Bona videntur. — *G. Bermann*. Exspecta paulisper, dum tua in lucem edere possim. — *Cor matris*. Optime rem convertisti, tamen eam publicare dubito, quia argumentum horribile est. Aliud mitte, mi fili. — *A. Bakonyi*. Iam prodiit in Iuventute. — *Brenek*. Edwin Sontag, Saint Paul, Minnesota U. S. A. 226, Nelson Ar. — *G. Weisz*. Illud proverbium iam aliā formā publicatum est. — *St. Fehér*. Qui tam eximius pictor es, cur aenigmata non delineasti? — *Ad violam*. Magna petis Phaëthon, Bajzano carmine convertendo. Tantum onus noli suscipere, id humeri non valet. Ex aenigmatibus unum alterumve promam. — *Maeterlinck*, *Eölvös*. Quis hoc misit? — *L. B.* (Keszthely). Disticha, nisi eminentissima, non libentissime vulgaverim. — *De reliquis proxime*.

Moderator ephemeridis **STEPHANUS SZÉKELY DR.** *Budapestini*, *Üllői-út 71.*, ad quem litterae quaecunque mittantur.

Sumptibus moderatorum ephemeridis: Magyar Középiskola.